

HENNINGI ARNISÆI  
HALBERSTADIENSIS

DE  
S V B I E C T I O N E  
E T E X E M T I O N E  
C L E R I C O R U M .

*Item de*

P O T E S T A T E T E M P O R A L I P O N T I -  
F I C I S I N P R I N C I P E S :

*Et deniq; de*

T R A N S L A T I O N E I M P E R I I R O M A N I .

C o m m e n t a t i o P o l i t i c a

O P P O S I T A

S c r i p t i s e o r u m , q u i i n h i s c o n t r o v e r s i s c o n t r a S e r e n i s s . R e g e m M.  
B r i t a n n i z , & F l o r e n t i s s . R e m p u b l . V e n e t o r u m d i s p u t a r u n t ,  
p o t i s s i m u m w e r o l i b r i s

R O B E R T I B E L L A R M I N I .



A R G E N T O R A T I

*S umptibus H eredum Lazari Z etzneri.*

---

Anno M. D. C. XXXV.



ILLUSTRISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
**Dn. GEORGIO RUDOLPHO, IN SILESIA LIGNICENSIVM  
ET BREGENSIVM DUCI**

*Domino suo Clementissimo.*

**S**i quis olim apud Romanos precarium & vertente anno in manus populi resignandum magistratum, sive assidua circumitione cblaudi-tus, sive vetulæ vesicâ beatæ, quam optimam processus formam vocat Juvenalis, admerca-tus, non unquam etiam virtute, sine interpre-te, sine sequestre, sine distributor, ut de suo consulatu gloria-tur Ausonius, promeritus fuisse, non solum

*Tusci turba impia vici,*

*Ambubajarum collegia, Pharmacopola,*

*Cum scurris fartor, cum velabro omne macellum,*

lecticam cum novo honore domum tendentis comitabantur, creati magistratus favorem sibi quisq; pro viribus demereri fe-stinantes: Sed idem officii exhibere non pudebat principes ci-vium, & qui vellent videri omnium primi, partim ut studia sua submissa salutatione testata facerent, partim, ut piis votis fel-i-cem toti Reipubl. successum exorarent. Cum Pompejo per le-gem Gabiniam imperium contra Piratas confirmaretur, tanto strepitu applaudentium divulsus legitur aët in ipsis comitiis, ut perecum corvi in medium theatrum proni delaberentur.

Eius consuetudinis, quam longa series annorum ad Impe-



# UTRUM, QUOUSQUE, ET QVO JURE CLERICI, QUO- ad personas & bona, sint subjecti Juris- dictioni seculari.

## CAPUT PRIMUM. DE DISTINCTIONE DUPLICIS Jurisdictionis.

### S U M M A R I A.

1. *Duo esse fora in mundo, Ecclesiasticum & Politicum.*
2. *Utrumq; dependere immediatè à Deo, nec unum subiici alteri, nisi secundum quid.*
3. *In quo differant duas haec jurisdictiones, & quo respectu, & quantum altera subordinetur alteri.*
4. *Sacerdotium apud plurimas gentes cohæsse regno.*
5. *Causa, cur haec duo apud Christianos conjungi nequeant.*
6. *Non licet Clericus se miscere rebus bellicis, nec expeditiōes in bene cedere solent.*
7. *Non sufficit unus hominis ingenium ad sustinendum officium tam Ecclesiasticum quam Politicum.*
8. *Refutatur error Boog, & explicatur officium Augurum & Pontificum apud Romanos.*

**A**nte omnia in hac controversia admittendū est, quod nec iij negare possunt, de quorum autoritate hic præcipue disputatur, videlicet duas esse distinctas jurisdictiones, temporalem & spiritualem, gl. Abb. Dec. & Dd. ad c. novit. de judic. ut & duæ sunt vita carnalis & spiritualis, c. nisi h. pœn. de renunc. duo geneta militum, Ecclesiæ & seculi, c. Clericum 50. dist. duo fora, Papæ & Imperatoris, Driedon. lib. 1. de libert. Chrif. quotum tanta est distinctio, ut unum non possit misceri cum altero, sicut Bernhardus lib. 2. confid. ad Eugen. dicit: *Si utrumq; simul habere voles, perdes utrumq;.* Et Henricus Imp. de Hildebrando recte scripsit ad Episcopos: *Vnus cum utrumq; sibi vendicavit, utrumq; dissipavit: nec in uno profuit, qui in neutro prodeesse voluit, nec potuit.* Abbas Ursperg. in Chr. Matthi. Flac. in Catal. testi. Veri. Sicut enim miles prohibetur se ingerere in causas civiles, l. militares C. de re milit. l. repetita 40. C. de Episc. & Cler. ita multò probabili ratione miles spiritualis ab iisdem abstinere debet, arg. l. reprehensibile 23. qu. 8. non tantum ne jurisdictiones distinctae confundantur, quarum confusione nihil datur inordinatus, aut quieti & in hac consistenti saluti Reipubl. magis contrarium: sed etiam ne alteru-